



**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. LX. An obseratis ostijs, & bene munitis ianuis, quibus ad locum aliquem accessus patet, à molestia spirituum, contingat liberari loci incolas?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

dum cum peccato fœdus pepigerunt: necdum verecundiam des-  
posuerunt; timorem repudiârunt. Denique, quid ut plurimum  
accidere soleat, significauit Dominus.

## CAP. LX.

*An obseratis ostijs, & bene munitis ianuis, qui-  
bus ad locum aliquem accessus patet, à mole-  
stia Spirituum contingat liberari  
loci incolas.*

1. **V**Num quæstione proposita quæritur; sed tale, vt eius re-  
solutio sine multorum definitione, absoluta & perfecta  
esse nequeat. Nam & definiendum h̄ic est, Vtrum ab om-  
nibus molestiis Spirituum sint liberi, qui obseratis ostiis  
ipsorum ad se ingressum prohibere conantur: & Vtrum si non ab  
omnibus, saltem à pluribus & quibusdam certis: & Vtrum ali-  
quando accidat, vt hac ratione omnis aditus Spiritus sit interclus-  
sus, & ad homines accessus nullus pateat.

2. Et int̄o quidem certum est, non omnes molestias hac ratione esse  
sublatas. nam cum molestarum genera plura sint, quemadmodum  
superius Capite 19. dictum est; & quædam percipiuntur visu, quæ-  
dam auditu, quædam tactu, si ostia obserata prohibent, ne se oculis  
vuentium offerant Spiritus, verberaque infligant, aut alio modo  
tactum afficiant; certè non prohibent quin excitatis forinsecus tu-  
multibus graues esse possint, atque molestias afferre illas, quæ au-  
ribus percipiuntur. Aliquando cubiculi sui fores obseruit firma  
sera Alexander ab Alexandro, quemadmodum ipse testatur  
lib. 5. Genialium dierum, cap. 2;. sed quas non videbat, audiebat  
horribiles species foris tumultuari, & cubiculi fores manibus  
pulsare.

3. Sit illa ratio illorum, quæ visu percipiuntur; vt directè simu-  
lachra sua ad oculos transmittat, & interpositis opacis corporibus  
sensum afficere prohibeantur: postulet hoc sensus tactus, vt con-  
iunctus esse debeat iis, à quibus mouetur, obiectis: sonorum, & tu-  
multuum, qui aures diuerberant, alia conditio est. Nam directè  
suas ad aures species diffundunt, nec tantam cum sensu, quantam  
quæ sub tactum cadunt, postulant coniunctionem.

4. Ab omnibus igitur molestiis securi non sunt viuentes, qui se in-  
cludunt, & Spiritibus ad se aditum præcludunt. An à pluribus? hu-  
ius definitio ex conditione Spirituum, qui molestant, petenda vi-  
detur

ur: qui vel in assumptis corporibus nos aggrediuntur; vel so-  
let sensibus nostris absque corporum assumptorum adminicu-  
lo illudunt, molesti<sup>q</sup>; sunt.

Si corpora secum non circumferant Spiritus; quid iuuabit  
contra eosdem se obseratis ostijs munire? Spirituum ea est conditio, ut  
nullo corporum obiectu arceantur. penetrare valent, quæcun-  
que densissima; quæcunq; durissima, absq; vel corporum, vel pro-  
pria sua ipsorum spirituum læsione.

Quid si corpora circumferant? Vel aliunde hæc sunt assumpta,  
atque solida, firmaque; vel ex aere, aliaque fluente materia, ipso-  
rum industria, compacta, & non solida. Posteriora hæc ut subitd  
componunt, ita mox possunt dissoluere, rursusque quando libue-  
rit componere. Quocirca nec hic secura libertas est: nec quicquam  
possunt aut ostia conclusa, aut munitæ ianuæ; quin vel in ijsdem  
corporibus se intus exhibeant, quibus foris molesti fuerunt; vel  
intus ex aere sibi alia fingant; & molestias afferant.

Quod dicimus suo exēplo didicit, cuius superius meminimus,  
Alexander iis in ædibus, quæ assiduis Vmbrarum illusionibus, &  
tetrīs Imaginibus, singulis propemodum noctibus inquietaban-  
tur. Postalias enim, quas sustinuerat recensitas molestias, sic sub-  
iungit. Non omittam, inquit, miraculum ingens, quod mihi planè vigilan-  
ti maiore aliquando trepidatione, haud multò post, euenit. Nam cùm tene-  
bris obortis, cubiculi fores obserasse firmasera; iaceremq; in lectulo, nulla  
adhuc quiete composta, lumine accenso, horribilem illam Speciem foris  
iam tumultuari. & cubili forem manibus pulsare sentiebam. Nec multò pōst  
Simulachrū illud opertis, addictisq; foribus (vix credibile dictu) per cōmis-  
suras & rimas in cubiculū se intrōmissit: quod sub lectulo meo iacēs. cūm Mar-  
cus alumnus & cliens meus (ut pote qui è conspectu cubabat) dira & tetrafa-  
cie aspiceret, pauore subitd consternatus, luctu & gemitu omnia opplebat,  
ipsamq; intrōmissam, non sine formidine clamabat: idq; mihi cūm clausus  
cubiculi ostiū aspicerē, vix credibile videretur; interim dirū illud simulac-  
chrū, quod sub lectulo iacebat meo, manū & brachiū portēdere, lumenq; q  
iuxta aderat extinguere, vidim⁹: quo extincto, libellos meos, et quicquid re-  
sum erat, querula voce miseri, ac omnia euertere non destitit. Ita Alex.

Porro si aliunde assumpta sunt corpora atque solida, dubium  
est, verum ad inclusos homines penetrare Spiritus tum valeant,  
molestiamq; in similibus corporibus afferre. Et quidam quidem  
nulla id ratione fieri contendūt: quidam admittunt, veruntamen  
non Spiritum vi, sed diuiniori aliqua virtute atq; potestate. Nos,  
quod res est, quatuor Assertis concludimus.

- 9.** Primum sit, corporibus qualibuscumq; assumptis non prohiberi spiritus, cur minus molesti esse valeant. Quamuis enim corpora aliquando impedian, ne ad quosvis accessus patet, quia tamen illa pro voluntate possunt deponere; si molesti esse volent, corpora deierent, atque molesti erunt, quacunq; libebitratione.
- 10.** Alterum est, omnino esse verisimile nunquam spiritus, qui apparent molestiasq; hominibus, in assumptis corporibus, afferunt, ita suis obiecta sibi corpora penetrare, quemadmodum & possunt, & penetrant, quando a corporibus sunt expediti. Penetratio hæc res prodigiosa est, Deique postulat omnipotentem manum. Quid vero opus prodigiis atq; miraculis in hac spirituum infestatione?
- 11.** Tertium est, nec illas esse spirituum, quorumcung; vires, ut possint in assumptis corporibus obiecta corpora penetrare: quamuis penetrare desiderent, Ut in eodem loco duo corpora reperiantur, quantitas corporum diuersorum non permittit: quo circa quamdiu diuersa duorum corporum manebit quantitas; diuersa etiam illa loca postulabunt. Hoc leges naturæ requirunt.
- 12.** Diuinæ tamen virtuti hic nullas leges volumus esse positas. Atque hoc quartum sit nostrū Assertum. Illa quemadmodū unū in diuersis locis; ita diuersa corpora uno in loco constitui posse non dubitamus, quicunque in rebus Christianis educati & instituti sumus.
- 13.** Quidni fieri posset, quod identidem factum? Factum in Christi Nativitate; quando integris Virginis claustris ille in hunc mundum penetrauit? Factum in eiusdem resurrectione; quando corpus egressum è sepulchro clauso? Factum mox à resurrectione; quando ad apostolos ingressus est clavis ianuis? Factum in ascensione; quando usque ad extremum penetrauit cælum?
- 14.** Atque hæc breuiter à nobis asserta sunt, alium illa locum postulant, si pro dignitate essent explicanda. Quod nos hoc Capite conclusum volumus, illud est, ianuis obseratis, conclusisq; & pessimo conductis foribus, contra spirituum infestationes, tutos atq; securos non esse inclusos mortales.

## CAP. LXI.

An effuso innocentium sanguine licitum sit vexationes & molestias Daemonum, quas certis locis afferunt, redimere.



Vinque præcedentibus Capitibus rationes illas discussimus, quibus si uera contra quicunque spirituum infestis